127

636.2

DOGMA

DE PVTREDINE.

1879

Digitized by Google

Digitized by Google

AD ILLVSTRISS. AC RE
*uerendiſſimum Cardinalem Herchulem
Gongiagam Marchionem Mantuæ:
Camillus Suardus Mantuanus.*

S. P. D.

Enetiis mæthodos medendi quū exercerem, ſcripta de putredinæ domini Hieronymi Accorōboni Eugubii ordinarii practicæ medicinæ in gimnaſio patauino impreſſa in officinis u.n.alia tradita fuerunt. Quunq; ego ad officin m acceſſiſſem, petii opus id nuper editū, quod mihi Emptori Traderetur, at ex officine aſſidentibus unus opus id attulit, non ambabus quidem manibus, neq; tota manu, ſed nequidem quatuor, tribus ue digitis, ſed duobus tantū, police. ſ. & indice, iis q; ſummis: adeo grande erat opus id impreſſum: Equidem ſubridens non potui mirum immodum non mirari. uirum grauem manum calamo (ut tam pauca conſcriberet) admouiſſe: & ea ſtudioſis impreſſa mandaſſe. Putabam tamen ob hominis autoritatē opus id ſummam doctrinam exactamq; continere: ſed cum

librum aperuiſſem: prima pagina per lecta: nullam in eo monſtratam mæthodum: nullum in dicendo ſeruatum ordinem: infinitas ferè apparentes enunciationes expoſuiſſe ſtatim cognoui.

Quamobrem non potui hæc per pauca non ſcribere ſtudioſis: ijs ue qui bonis litteris ſunt prędititi: Quanquam multos futuros eſſe arbitror: qui me arrogantię reprehendent: quòd nouus homo: & uix intra proprios lares (ut dici ſolet) cognitus: audeam contra hunc inſurgere: qui autoritatem ſibi multis iam annis uendicauit. Dānabunt pleriq; docendi modum: hoc eſt per methodum: ſeu in medicina inter recentiores non uſitatum: alij hoc certe uicio dabunt quod nominis aucupandi gratia: rem tam exigui momenti uulgandam ipſemet uel curauerim: uel permiſerim: Ego (ut ab huiuſcemodi reprehenſionibus excuſer) rem in omni diſciplina ſumme neceſſariam puto: apparentes non admittere enunciationes: quæ ueri oſtendēdi cauſa: falſitatem ſub ſpecie apparentis prationis latentem arguunt: at ueritate prę oculis habita: ſcribere ea ingenuitate ac audatia: ut neq; autoritatis: neq; antiquitatis:

ulla ratio habeatur. Hanc *igitur de putredine methodum: ſcribere auſus ſum: non ut cupiam contradicam: ſed uti ueritas ſtudioſis innoteſcat.* Q*uam tibi* R*euerendiſſime* C*ardinalis* D*omi no meo, ac patrono: quem ſemper mihi colen dum obſeruandumq; propoſui: non potui non di care.* T*um ob tuorum erga me innumerabilium meritorum copiam.* T*um ob tuarum uirtutum claritatem: accipe igitur quam de putredine me thodum ſecundum ueterum ſcriptorum mẽtem expoſui: eo in ſcribendo ſeruato ordine quem* Gal. *in doctrina de generatione hominis fecit li bro primo naturalium facultatum.* V*tilis enim eſt hec methodus ad notitiam eorum quæ de dif ferentijs febrium: ac de earum curatione: a* Gal. *ſcripta fuerunt: quæ a nobis per methodum ex poſita ſtudioſis deo maximo fauente breui man dabuntur: ijs uero qui ebetis ſunt ingenij: ac elen chicis rationibus oblectãtur: ac minime ſunt ue ritatis amatores conſulo: ut ab hoc noſtro docen di genere penitus recedant: quum omne diſputa tionis genus effugere pro uiribus elaboremus: qua propter ij non modo non aſſequentur quam*

dicturi ſumus methodum:neque quòd ante me-thodum dicentur intelligent:ſed etiam quæ ſo-lum uere narramus enunciationes ÿs nauſeam inferent:ac ſi diminute uel ſuperflue eſſentex-poſita:ÿs uero qui ſtudioſe ueritatem inquirunt: ac eam habent in precio:pręſentem de putredi-ne methodum ſcribimus atq; quum ÿs rem ip-ſam aggredientes dicimus.

Quum pus:& urinarum ſedimen propria na ture ac eius qui præter naturam eſt caloris ſint: cinis uero ac exhalatio putris fœdaue:ſeu aliquid aliud quòd ÿs proportione reſpondet:propria ca loris præter naturam ſint, quæ propterea quòd præter naturam eueniunt:non immerito & præ ter naturam opera dicuntur:pręceptor.Gal.edo cuit primo de naturalibus facultatibus:quòd om ne opus alicuius actionis eſt opus:& omnis actio alicuius facultatis eſt actio : inquiramus igitur quibus præter naturam tum actionibus:tum fa-cultatibus pus:urinarum ſedimen: cinis exhala-tio putris:& ſi aliquod aliud in humano corpore ſimile præter naturam opus eſt proueniant: fiet enim hoc pacto:ut putredinis doctrina:una cum

Gal.dogmate tradatur, uerum prius diſt nguamus, explicemus q; oportet: de qua re ſingula quibus in ijs ſcriptis utemur, nomina dicantur porro opus præter naturam apello: quòd corruptũ eſt: cuius pars actu permanet, ut cinis: pars uero ſucceſſiue perdurat: ut exhalatio putris: pars autem ſub priuatione reſidet: ut eius quòd mutationis ſubijcitur priuatio. Nempe id proprie opus non eſt quum opus ſit id quòd factum eſt: præter naturam igitur opera dicuntur cinis: & ac exhalatio fœda. Opus uero ſecundum naturam Gal. apellat: quòd a natura factum eſt: ut animalia: & plante. At ex horum generum miſcela: unum tertium opus ſecundum ſpeciem euariat, quòd quoddãmodo a natura factum quodam ue modo corruptum dicitur: ut pus: & urinarum ſedimen, ac ſemiuiciatus humor.

Actionem uero præter naturam apello corruptiuum motum: ut ſimplex putredo: cuius ſigna ſunt: exhalatio, putris: cinisuæ: ſicut actionem ſecundum naturam Gal. apellat factiuum motum, ut generatio, ex ijs autem duobus generibus una tertia ſecundum ſpeciem euariat actio

quæ quodammodo factiuus motus, quoddam ue modo corruptiuus dicitur, ut ſemiuiciatorū humorum mutatio, quæ putredo non ſimplex: & coctio dicitur cuius ſigna ſunt pus, ac urinarum ſedimen. Cauſa uero a qua hæc proueniunt, facultatem apello, ut actionum naturalium facultas uis formatrix genitrix ue, ac debita elementorum proportio: actionum uero præter naturam facultas, ut elementorum diſproportio, caliditas ue externa.

Nam quoniam ubi humor in locis inflammatione affectis, ad exiguas diſperſus eſt partes, mutantur, & corrumpitur, ſi uis quæ in ambitu totius mollis exiſtit, cui concoquendi, huiuſcemodiuæ materias apponendi, ac aſſimilandi, nutriendiq; officium eſt demandatum, modicam in corruptibili ſubſtantia facere poſſit bonam tranſmutationem, uel ob ſui imbecillitatem, uel ob mei malam qualitatem, quæ corrumpitur ſubſtantia ad id deducitur opus, quòd partim oppoſitū quidem eſt, ac unitum, ſed nō aſſimilatum exiſtit, quum uiciate ac putris exiſtat conſiſtentie, partim uero ut excrementum ſecernitur, quippe id

quòd

quòd in hac ſemiuiciatorum humorũ mutatione excernitur fœdum quidẽ eſt:ac modice,uel nullius conſiſtentię,quòd externi caloris uim,innatiq; imbecillitatem demonſtrat, ſi uero uis concoctris in corruptibili ſubſtantia optimam faciat transmutationem, hæc ad tale deducitur opus, quòd partim appoſitum quidem eſt, & unitum ac aſſimilatum,ſed id non exacte alimentum dicitur, partim uero ut excrementũ excernitur, quippe id quòd in hac ſemiuiciatorum humorum mutatione ſecernitur, & paucum, & non fœdum,ac bone exiſtit conſiſtentię, innatiq; caloris uim,ac præter naturalis imbecillitatem indicat, ẽ enim actiones hę quoddammodo factiui motus dicuntur,quoniam a natura(quæ corrumpitur ſubſtantia)ad talem deducitur alterationem,quòd ſimpliciter non corrumpitur,quippe & corruptiui motus dicuntur, quoniam ab externo calore(quæ ſemiuiciata coquitur ſubſtãtia)ad talem deducitur alterationem, ut exacte non concoquatur neq; corpus nutrire apta eſt, ſimiliter & opera quoddammodo a natura, ac præter naturam facta dicuntur. Quibus uero

nominibus tum actiones, tum opera, ſint nominanda, de hoc nulla eſt nobis ſollicitudo, ſat enim ſit rei eſſentiam exploraſſe, tamē quoniam Gal. & Ari. de ijs tum actionibus, tum operibus locuti ſunt, eorum nominibus & nos in preſentia utamur, equidē actionē ipſam, putredinē nō ſimplicē dicūt, quoniā ſubſtātia & ab externo calore cōtinētis & a naturali calore mutatur, alteraturue, ac quoad fieri maxime poteſt concoquitur, quippe ſuperante natura ea dicitur putredo, non ſimplex, & non maligna, ſeu bona coctio, ſuperante uero calore preter naturam: ea dicitur putredo non ſimplex, & maligna ſeu mala coctio. Quippe opus quòd fit caro dicitur, ſuperante quidem natura bona caro dicitur, ſuperante uero calore præter naturam mala caro dicitur, at ſuperfluitas quæ excernitur, pus dicitur, ſuperante quidem natura optimum pus, ſuperante uero calore preter naturam malum pus dicitur. Ita & urinarum ſedimen euenit, ubi humores in uaſis putredine moleſtantur: Et enim quæ in uaſis continetur alteratrix facultas, cui concoquendi ſanguificandiq; officium eſt deman-

Digitized by Google

datum, ſi in corruptibili humore bonam faciat tranſmutationem, qui interim corrumpitur humor ad talem peruenit alterationem, ut non exacte quidem ſanguis exiſtat, ſed nõ uiciatus a natura regitur, ac gubernatur, cuius actionis ſuperfluitas bonum eſt ſedimen: Si uero ſanguificatrix facultas modicam in corruptibilis ſubſtantia facere poſſit bonam tranſmutationem, hæc ad talem deducitur alterationem, ut ſimpliciter quidem prẹter naturalis non ſit, ſed ab externo calore uincatur, ac mutetur, cuius actionis ſuperfluitas malum eſt ſedimen, at talis putredo non ſimplex quidem putredo exiſtit, ſed quid in ſe cõtinet coctionis, ut optime docuit Gal. ſecundo de differentiis febrium. Quippe in humidis ſubſtantiis quæ naturam ſuam penitus perdiderint, ac a naturali continentis calore penitus ſub derelicte, alterum corruptionis genus euenit: Et enim externus calor in ijs tantum uiget quapropter humida ſubſtantia facile ad id deducitur opus quòd ſimpliciter quidem corruptum eſt. Nempe id facile deprehenditur, in ijs humoribus qui ſemiuiciari a calore externo uicti fue

runt:Et enim in ijs (quum omnem innati calor perdiderint uigorẽ) alteratrix facultas ab opere ceſſat, at excretrix facultas cuius officiũ eſt ma- lum a bono nociuum a non nociuo ſecernere, cõ- tra hos inſurgit, ac ad extra uaſa pro uiribus eos impellit, ubi altero putredinis genere cor- rumpuntur. Nempe horum humorum pars ſub priuatione reſidet, pars in putridam exhalatio- nem abſumitur, pars uero terreſtris ueluti cinis relinquitur. porro nomina ijs, tum actionibus, tũ operibus, arbitrio quorumcumq; imponantur, dummodo rei aſſiſtentiam obſeruent, potiſſimũ ij qui alijs uti uoluerint nominibus, ab ijs quæ ab antiquis ſcriptoribus obſeruata fuerunt, & enim actio hæc a Gale. *ſimplex putredo dicitur, quo- niam ſubſtantia quæ ſecundum naturam cor- rupta eſt, ab externo calore tota abſumitur, di- ſcipatur ue.* Hancq; Gal. *diffiniuit.xi. methodi medendi, cum inquit putredinis natura eſt muta tio totius putreſcentis ſubſtantiæ a calido exter- no, quippe &* Ari. *ſimplicem diffiniuit putredi- nem cum inquit, putredo eſt corruptio in humi- da ſubſtantia propriæ ac ſecundum naturam ca-*

liditatis , ab externa caliditate &c. quem diffi-nitionem Gal. laudauit ſecundo de differentiis feb. ix. At opus quod remanet dicitur cinis, exha-latio uero putris & ſi tantum ſucceſſiue perdu-ret, opus huius actionis & ipſa dicitur. Et enim humores quorum putredine febres immediate accēduntur, hac ſimplici putrent putredine, quip pe carnem & oſſa & omne membrum cum ulce re adeo maligna afficiuntur, ut nullam admittat curationem hac ſimplici corrumpi putredine experientia teſtatur. Duplex igitur noſtri corpo ris eſt putredo ſecundum genus, una quidem ſim plex quæ generationis maxime comune contra-trium eſt. Altera uero non ſimplex, quæ putre-do, & coctio dicitur, prima quidem ab externo calore fit: Secunda uero & ab externo & a na-turali euenit.

Hæc ſunt quę a Hieronymo Eugubio in ſuo Tractatu de putredine erant pertractanda, & non dubitandum, nunquid putredo de qua peri patetici locuti ſunt, eadem ſit, an diuerſa ab ea quam medici conſiderant, quum a diuerſis cau-ſis quæ non exiſtunt in re proueniant ac ex eiſ-

dem cauſis quæ exiſtunt in re facta exiſtant. Et enim queſtio hæc eſt queſtio quid nominis, quæ diſputationis gratia conceditur ijs, qui glorie cupidi apparentibus enuntiationibus quòd ſentiunt tueri conantur, ut ſophiſte. At ſtudioſi yq;, qui ueritatis amatores ſunt, ac bonis litteris ſunt proditi, hoc diſputationis genus penitus effugiant. Nempe hac de cauſa celebratus hic medicus in ſuo tractatu de putredine nonnullis apparentibus enunciationibus imperitis falſitatem ſuadet, quas apparentes enunciationes in ijs preſentibus litteris annũciare propoſui, exiſtimauit enim hic prudens, putrędinem quæ poſt etatis decurſum euenit, quam nos ſimplicem nominamus eſſe naturalem. At de hac ſententia plurimum ambigo, quum hæc putredo ſit nature maxime contraria, ueriorem quidem docuiſſet ſententiam, ſi ea putredo quæ non ſimplex eſt, ſeu coctio dicitur, naturalem putredinem uocitaret. Nempe hęc ẽ ſi ab eſterno calore fiat, fit etiam a natura & q̃ ſepiſſime ſuperante natura euenit. Quippe huius erroris cauſa fuit, quòd hic in quoddam Ar. dictu incidit. Et enim Ar. mortẽ & ſenectu

tem quæ poſt ætatis decurſum euenit, naturalem nominat, Ita excellens hic medicus putredinem quę ex ætatis decurſu euenit, naturalem nominat, at ſimilitudo eſt ualde abuſiua, mors enim & ſenectus naturæ contraria non exiſtunt, ſed unum iuuentuti alterum uitæ contrariatur, porro natura humidum radicale abſumēte ſenectus euenit poſtremo mors, quapropter, non īmerito hę actiones naturæ dicuntur, ſimplex uero putredo ē naturæ contraria exiſtit, ē a natura nullo pacto fit propterea immerito actio naturæ dicitur, exiſtimauit etiam hic ſapiens ſimplicem putredinem non poſſe euenire niſi poſt corruptionem quæ per ætatis decurſum euenit, at experientia liquet in ijs corporibus quorum membra ulcerata putrent ſimplicem putredinem ante corruptionem per ętatis decurſum poſſe euenire, quum ad talem putredinem non nunq̄ deueniant ut membrum abſcindere oporteat (id enim uſu euenit quum humores omnem proprij continentis amiſerim naturam) quòd ſi non abſcindatur, ob egri intolerantiā uel ob chirugicis pietatem, una cum membro totum putreſcit cor

pus, marcidumq; efficitur quin et humores quorum putredine febris cõtinuo accenditur, niſi in putridam exhalationem uel ſudorem penitus reſoluerentur, uel alio quouis modo ex corpe pellerentur, prius homo mortem ſubiret, q̃ febris finiretur, quoniam ij nihil in ſe continent coctionis, ſed ſimpliciter putris exiſtunt, hic igitur ſapiens uerιorem quidem enunciaſſet ſententiam, ſi ſimplicem putredinem non poſſe cuipiam euenire, niſi poſt illius corruptionem (ſeu naturaliter per etatis diuerſum eueniat, ſeu uiolenter) exiſtimaſſet, quippe carnis uel humorum portiones uiuente corpore prius ſecundum naturam corrumpuntur (quum proprium amittunt calorem quo tempore ſemiuiciati ac ſemiputres exiſtuntur.) poſtea ſimplici corrumpuntur putredine: quum in exhallationẽ putridam uel ſudorem reſoluuntur, quo tempore putra exhalatio ſi peráat cor & excalefaciat febris accẽditur, equidẽ non poſſum non mirari hunc tam celebratum medicum exiſtimaſſe hoc genus ſimplicis putredinis tum quia poſt naturalem corruptionem euenit, tum quia non poteſt corrigi, medici consideratione

tione

tionem effigere. Inquit igitur ille, putredo quam conſiderant medici & corrigi poteſt, & eſt uia ad naturalem corruptionem, & ſimplex putredo corrigi nequit, & non eſt uia in naturalem corruptionem, ſed naturalis corruptio in hac uia eſt igitur ſimplex putredo a medico non conſideratur. Et non conſiderauit his ſapiens humorum putredinem eſſe duplicem, una quidem eſt non ſimplex, quæ in ijs humoribus conſiſtit, qui in maſſa putredinali a naturali uaſorum calore alterantur. Nempe hęc putredo non nunq̃ corrigitur, non nunq̃ uero eſt uia in prętnaturalem & uiolentam corruptionem. Altera quidem eſt putredo ſimplex quæ in ijs, humoribus excitatur qui a naturali uaſorum calore derelicti fuerunt. Nempe hæc putredo non eſt uia in naturalem corruptionem humorum ſimpliciter putreſcentium, quum iam ſecundum naturam corrupti ſint, priusq̃ ſimpliciter putreãt, ſed per contactum ac per accidens corruptionis eorum eſt cauſa, quæ circum poſita exiſtunt, ut in pomis, uuis, neſpilijsq;, qum marceſcũt ac reliquis ſimilibus eſt uidere, quæ quum primum putrẽt

& quæcunque quæ circumpoſita ſunt, una pu-trent, & corrumpunt, ita & qui in corpore ſim-pliciter putret humor, non quidem ſimplex ip-ſius putredo eſt uia in naturalem corruptionem ipſius, quum prius ſecundum naturam corru-ptus ſit, q̃ ſimpliciter putreat, ſed per cõtactum ac per accidẽs corrumpit aliorum humorum na turam, non unq̃ carnem & oſſa. Et quecumq; cir cumpoſita exiſtunt. Ad id autem quum inquit pu tredo quæ non poteſt corrigi non eſt a medico conſideranda id uoluntarium eſt dictum. Gal. enim & Aui. docẽt penitus putrefacta omni ra-tione eſſe abijcienda. Veriorem quidem ſenten-tiam protuliſſet, ſi a putredine quæ non poteſt corrigi alterationem per medicamina non ad mitti (non autem medicorum conſiderationem effugere) exiſtimaſſet. Et enim medicus eam quæ inhiberi poteſt putredinem conſiderat, ut a natura ad minus malum ſemiputredus alteretur humor uel concoquatur, ut corpus rurſus nutri-ri ualeat. Eam uero quæ inhiberi non poteſt pu-tredinem ac naturam alterantem penitus renuit, medicus conſiderat ut ui medicaminum a natura

putridus expellatur humor. Quin etiam medicus eam conſiderat quoniam continens cauſa febris eſt, ac ſine qua putredinalis febris non excitatur, ſed non erubuit uir ille, etiam ſcriptis Ga. apertiſſime cõtradicere. Inter humorum quidem putredinẽ quæ in uaſis fit, & eam quę in inflãmationibus ac alÿs præter naturam tumoribus accidit, differentiam ſtatuit. Quum a Gal. libro primo de differentÿs febrium capi. vi. hæc habeant ad uerbum. Humorum autem putredo quæ in uaſis fit, ſimilis eſt ei quæ in inflammationibus, ac alÿs collectionibus accidit. Nugatur ſane exÿs apparentibus enunciationibus, putredinem quam medici peripateticiq; conſiderant, non eandem eſſe, cuius concluſionis ambiguitas, noſtrum arguit dogma. Hic plane magis firmã docuiſſet concluſionem ſi conſiderandi putredinis modum quæm medica docet ſciẽtia uarium eſſe ab eo quem peripatetica (non quidẽ putredinẽ ipſam) proprÿs ſcriptis monſtraſſet. Et enim quæ in tractatu de putredine huius eruditi phiſici non bene ſcripta exiſtunt, ea ſi dogmatice refellere agrederet, opus eſſet libro ÿs ſigillatim dicato e

que ingenti. Ceterum quem admodum in aliis quæ a nobis definita ſunt effecimus, ut. ſ. ſolam ueritatem ſeruato maiorum noſtrorum dogmate tantum explicemus, ex quo quiſpiam inſtructus aliorum delicta comprehendat idem nunc quoq; faciamus. Verum prius uerba faciamus eorũ quæ a profeſſore quodã (neſcio cuius artis chirurgie ne tan ut in loquar ſurmatorie) de putredine uulgata fuerunt. Et.n.hic priuilegia a quodã chirurgico facta cuiuſdã cardinali nomine primis medicis monſtrauit, quorũ autoritate ſe phiſicum eſſe ait, ſed hæc nullã in eum haberent rationem ſi quæ ab ipſo definita ſunt, ſeu uere, ſeu apparenter ſtudioſis intelligi poßent, quippe hic adeo confuſe obſcureq; ſcripſit, ut neq; ab aliis, neq; a ſeipſo ſua intelligãtur ſcripta. Equidem bis, terue ipſius ſcripta acurato quidem animo perlegi, nec quicq̃ excerpere potui, præterq̃ quod in nugacibus ſcriptis ſuis, Ari. Gal. ſedere iudices facit, fert tamen ipſe ſuam, nec illorum expectat ſententiam, & palmam ſibi ipſi dat.
Quemadmodum & teſſalus in ſuis de communitatibus ſcriptis & in iis qui ſyncratici apellatur

fecit ut Gale. enarat primo methodi medendi. Et.n. ſcripta huius ignoti medici quum nullius ſint autoritatis, quumq; ipſa ſe ipſis reprobentur ſicut ipſe ſe ipſum approbat, quum quod intelligi nequeunt, cartas impinguere contra eum nequidem dignemur. At Hieronymi Eugubij ſcripta tum ob hominis autoritatem (hac enim noſtra tempeſtate magni eſt nominis) tum quod intelligi facillime poſſunt, ne prauæ doctrinę cauſa eſſent non ab re fuit ſtudioſis ipſius apparentes declaraſſe enunciationes. Rurſus modo ab initio reppetētes, dicamus putredinem duplicem eſſe, una quidem ſimplex, quæ actio pręter naturam eſt, cuius facultas externa eſt caliditas, opus uero priuatio ſubſtantiæ, quæ mutationi ſubijcitur, a qua cinis ac exhalatio putris ſecernitur, altera uero non ſimplex, quæ actio ſecundum naturam ac præter naturam eſt, huius facultas eſt, & naturalis uaſorum caliditas, & præter naturalis humorum excitata caliditas. Opus uero ſemiuiciati humores, a quibus pus ac urinarum ſedimē ſecernitur. Quippe putredo hæc dupliciter uariatur, uno quidem modo ſuperante natura cue-

nit,alio autem modo ſuperata. Nempe uterq; hic modus putredinis inhiberi poteſt, ſuperante quidem natura facillime, ſuperata uero natura maxime difficulter inhibetur, ſimplex uero putredo inhiberi poteſt nequaq̃, quòd & in ijs quæ extra putrent corporibus uiſu diſcernitur. Et enim caro quum non ſimpliciter putret, ebulitione ipſius inhibetur putredo, at quum ſimpliciter putret, in flumina ac latrinas cum reliquis immundicijs ſordibusue proicitur, ita & qui in humano corpore putrent humores, quum non ſimpliciter putrent coctione ipſorum inhibetur putredo, at quum ſimpliciter putrent, uomitu ſeceſſu urina ſudoribus alitu expurgantur. Quæ igitur quot, & quibus modis fiat putredo, quæue ipſius opera, ac facultas, breui ſic habeantur.

Digitized by Google